

397  
dari æqualitatem, sed ex parte DEI semper deprehendi excessum infinitum, ut nulla jure fieri queat vel permutatio vel distributio, imprimis circa hominem lapsum: id quod Nostrates facile largiuntur. Inter CHRISTUM verò Θεόν Σεωπτον, obedientiã tam activã quã passivã totum genus humanum ex asse expiantem, Deumque locum habet exactè. Datur præterea in eò justitia dispositiva, quã gubernat vitam mortalium, ab iisdem, reqvirens, quæ facere aut fugere deceat; hæc ratione DEUS justus est legaliter, justè à nobis debitum exigens officium. Datur justitia dispensativa, quã inter hominem & hominem, jus ex æqvò dispensat. Denique compensativa, ubi creaturæ rationali non ex naturâ, sed pactò ac fœdere cum ipsâ initò, reddit, quod ipsius est. Et hæc denuò vel remunerativa audit vel vindicativa: illa movetur ad præmia piis conferenda, hæc ad pœnas inobedientibus infligendas. Et hæc ipsã quidem non nisi extremè ulcisci potest præfractè delinquentes, quandoquidem vera hîc intercedit proportio, cum peccatum, censente Thomâ, quoddam quodammodo sit infinitum, quia contra DEUM: quod hisce verbis exponit Cajetanus: *Quantum peccatum non sit simpliciter infinitum, tamen in suo genere nempe pœnali infinitum est, sicuti linea, quæ non clauditur punctis, licet non sit infinita simpliciter, est tamen infinita in suo genere, nempe longitudinis.* Nec obstat, punire DEUM & remittere crimina pro lubitû, quando velit: unde vel maximè, non naturâ inesse Numini justitiam, arguunt; à libertate enim actûs ad libertatem Principii non valet consequentia. Actus & exercitium sunt liberæ voluntatis, ideòque pœnas aliquantum differre potest, Principium autem est necessarium, & sic justitia DEO naturalis.

## Epilogus.

**E**T hîc quidem vela tandem erunt contrahenda. Colophonem igitur toti speculationi impositurus cum Bernhardò, in